



Universitätsbibliothek Paderborn

**Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator
communiter resurgit ad justitiam.**

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

§. 1. Post peccatum saepius commissum difficilior est conversio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

ultione percussa ab invito deseritur. Hinc est quod in Evangelio Lucæ prius juvenis mortuus extra domum elatus resuscitatus legitur, quam puella mortua quæ adhuc intra domum invenitur. Hoc tamen D. Gregorii doctrinæ contrarium non est, nam & sæpè experta delectatione roborata & aucta cupiditas vincit pudorem.

§. I.

Post peccatum sapienter commissum difficilior est conversio.

Id verò maximè tum fit, si sæpè aut diu pravis saturandis desideriis & mala percipiendæ delectationi insistitur: ex hoc enim arctius muscipulæ peccatorum pes, id est, amor comprehenditur & concluditur, ut jam indè extrahi difficile sit & operosum. Propter quod dicebat

Loco citato. Gregorius: *Cum culpa in usum venerit, ei jam animus, etiam si appetat, debilius resistit: quia quot vicibus prava frequentationis astringitur, quasi tot vinculis ad mentem ligatur.* Hinc alibi

Lib. 13. dicit: Facile inimico resistitur, si non ei vel in mor. c. 10. multis lapsibus, vel in uno diutiùs consentiatur. Sin verò ejus suasionibus anima subesse consueverit, quanto se ei crebriùs subjicit, tanto eum sibi intolerabiliorem facit, ut ei reluctari non valeat.

Hic

Hic jam est tertius peccantium gradus , à quo cæteris difficilius quisque convertitur , non solum conversione totali , quæ scilicet omnes ex malo usu acquisitos habitus excludat , ut admittit Appendix , sed & illa quæ ad justitiam satis sit. De hac enim agit Gregorius , dum ad similitudinem trium mortuorum à Christo resuscitatorum tria peccantium genera ab ipso dicit ad animæ vitam , hoc est justitiam revocari.

Neque unius Gregorii est ista compa-
ratio : diu ante Gregorium eam adhi-
bibuit Augustinus , & ex utroque S. *Super Ioan.*
Thomas in Catena, quod deinceps Scrip- *cap. 12.*
turæ Interpretes atque alii Ecclesiastici
tractatores communiter sunt secuti , ut id
jam hodiè in concionibus sit pervulga-
tum. Unanimi autem omnium consen-
su consuetudiniorum persona Lazaro
tribuitur , non eâ facilitate , quâ cæteri
ad vitam resuscitato ; ut intimetur , ipsos
præ aliis difficiiliùs ad justitiam resurgere.
Tum quippe , uti ex Augustino adducit S. *Ibidem.*
Thomas , *Fremuit Dominus , lacrymavit , vo-*
ce magnâ clamavit , quia difficile surgit , quem
moles consuetudinis premit. Turbat se ipsum
Christus , ut tibi significet , quomodo tu turbari
debeas , cum tantâ mole peccati gravaris & pre-

meris. Fides hominis sibi displicantis fremere debet in accusatione malorum operum, ut violen-
tia pœnitentia cedat consuetudo peccandi.

§. II.

Perperam aduersus hæc allegatur in Appendice
auctoritas S. Gregorii.

Nihil autem adversum hæc valent,
quas hic confirmando proposito
suo profert Appendix, Gregorii aucto-
Lib. 22. ritates. Dixit quidem hic S. Pontifex,
mor. c. 13. cuique peccatori jam exordium illumina-
tionis est humilitas confessionis; dum
scilicet malum quod egit, non abscondendo & occultando defendit, sed ag-
noscendo & prodendo confitetur; sed
quod citò ac facile inveteratus peccator,
quemadmodum ad justitiam oportet,
conversus sit, non dixit, quin potius,
si Gregorio standum sit, ex iis quæ ha-
ctenus ex ipso prolata sunt, contrarium
evici.

Insuper non ita hæc dixit, ac si om-
nen qualitercumque peccatum suum ag-
noscentem & confitentem debitè putet
conversum; hoc Gregorio contrarium
est. Dilucide enim mentem suam aperuit
Lib. 2. c. 3. cùm dixit: Conversio autem peccatoris non est
in l. 1. reg.

in